


**Terram Immortalitatis ab Illvstri Et Magnifico Reipvblicae Wratislaviensis
Praeside Domino Carolo Henrico De Haupt, Post nondum superatum LXIII.
annorum in vita spatium & Amplissima In Senatv munera Ingenti Lavde per XXX.
annos administrata, A. O. R. MDCCXXIX. X. Calend. April. inopino discessu
initam, inter solennes Funeris ritus XIV. Calend. Maji tenui delineatam Carmine
Perenne Grati Animi Monvmentvm extare voluerunt Gymnasii Elisabetani Cives**

Wratislaviae: In Officina Baumanniana Typis Exprimebat Ioannes Theoph. Straubel, [1729]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1758054786>

Druck Freier  Zugang




May 12 2.

2°

Jz II
1365/30

3.11.11



TERRAM
 IMMORTALITATIS,
 ab
 ILLVSTRI ET MAGNIFICO
 REIPUBLICAE WRATISLAVIENSIS
 PRAESIDE
 DOMINO
**CAROLO
 HENRICO
 DE HAUPT,**

Post nondum superatum LXIII. annorum in vita spatium

&

Amplissima in SENATV munera

INGENTI LAVDE

per XXX. annos administrata,

A. O. R. MDCCCXXIX. X. Calend. April.

inopino discessu

initam,

inter solennes Funeris ritus

XIV. Calend. Maji

tenui delineatam Carmine

PERENNE GRATI ANIMI MONVMENTVM

extare voluerunt

GYMNASII ELISABETANI CIVES.

WRATISLAVIAE,

IN OFFICINA BAUMANNIANA TYPIS EXPRIMEBAT
 IOANNES THEOPH. STRAUBEL, TYPOGR. PRAEFECTUS.



Egnabat gelidae per amica silentia noctis
Jam superans roseo medii fastigia coeli
Luna jugo, longas acuunt ubi somnia curas,
Et fugitiva suum rebus negat umbra colorem:
Cum casus varios, hominesque futura timentes,
Spemque metumque inter dubios sua fata subire,
Et jam vicinas multum exhorrescere mortes
Volveret Elisabe lepidis bene cognita musis;

Ora madent lacrymis, & duravere dolores,
Donec membra quies mulcet placidissima somno.

Te precor, imperio qui factum dirigis orbem,
Qui luci tenebrisque vices somnoque dedisti;
Sic mihi fas audita loqui, sit viribus aptis
Pandere concessum prope res caligine mersas.

Invia mortali jacet extra sidera tellus
Extra anni solisque vias, & cognita nulli
Nullaque fortuitae referens vestigia cladis.
Cuncta quiescunt, nulli robusta timores
Munimenta petunt, nemo acribus utitur armis,
Pax aeterna viget, vanum est sine lite tribunal,
Regnaque perpetuis firmat concordia vinculis;
Non labor, aut curae redeunt, mens conscia recti
Patrorum operum largos capit integra fructus.

Aura calet, sed non nimis furit ignibus aether,
Quisque fluit sine nube dies, semperque salubris
Certaque temperies, omne est sine frigore laetum
Tempus, & insignis superi clementia coeli.

Hinc ver perpetuum felici gramine terram
Nec non nobilibus semperque virentibus herbis
Contegit, aeternum retinent vaga prata decorem:
Continuo strepitu puraque illustra lympha
Lenia per patulos labuntur flumina campos:
Gemis fulmineis, auroque refulget arena,
Duraque praecipuis humus intermixta metallis.

At vicina tenent nemorum secreta citorum
Agmina pennigerum, vario certantia ritu,
Confecta e mediis resonant modulamina lucis,
Sylva suos fructus & amoenos spirat odores;
Raris conspicui cumulantur floribus horti;
Aurea poma ferunt tuti sine vindice rami,
Quos nulla exedit caries, & nulla securis
Deformat, quos nec prudentis cura coloni
Flexit, & in justam docuit succrescere formam;
Hoc peragebat opus mater natura, nec ullis
Arbuta feminibus, sed sponte enata manebunt.

Has tum Nympha sacras inopino contigit oras,
Aspectuque loci fruitur, stupet inscia tantas
Cernere divitias, nec in uno lumina figens
Distrahitur, tantumque soli miratur honorem,
Et vultus hominum cupit & commercia linguae.

Vix tamen a primo fuerat mens libera motu,
Obvius e Sylvis aliquis cum forte propinquat,
Quem quondam in patria cognorat, jamque patronum
Suspicit orbe alio, & mentem veneratur amicam.
Is prope confiterat, profitetur gaudia vultus
Jam senior, sed cruda viro viridisque senectus,
Protenditque manus, & sic prior ora resolvit:
Quis DEUS ad nostros te duxit, filia, cæcus?
Non adeunda aliis loca, quam quos inclytus ardor,
Et pietas, & amor patriae, & generosus inertis
Contentus vitae super aurea sidera vexit.

Haec modo factus erat, dixit cum talia Nympha:
Ignotis erramus agris, si dicere fas est
Errores animis concessa habitacula puris:
Nam te, respiciens tuaque inclyta facta revolvens,
Credo subire domos tantum potuisse beatas.
Tu modo condoceas, quae me via ducat, & ipsi
Nemina quae terrae, quis finis & ambitus orae?
Ille autem: non haec te conjectura fefellit,
Elisabe, ingentes animas, invictaque corda
Hic locus omnis alit, REGNA IMMORTALIA cernis
Temporis aut spatii nullos capientia fines.
Te ducibus fatis, & non sine Numine divum
Advenisse reor, dotes regionis alumnis



Ut mem orans generes vitae melioris amorem.
 Jamque age carpe viam, meque indice templa domosque
 Magnificas & fata virum jucunda videbis;
 Acceleremus iter, magnus mox advena nostrum
 Augebit numerum, sanctaque sacrabitur aede.
 Ibant concordēs, tranquillo tramite totum
 Exsuperatur iter, rutilum nitet undique lumen,
 Qvale ferenato cœlesti lampade cœlo
 Phœbe facis, roseo surgens aurora cubili
 Cum pellit tenebras, cupidos sociatque jugales.
 Jam quoque conspiciunt aditus, foribusque propinquant,
 Splendescunt niveo constrati marmore calles,
 Aethereasque plagas pretiosa palatia tangunt:
 Sed magis interior regali splendida luxu
 Aula nitet, REGINA leues ubi tractat habenas,
 Qvam mixta auratis suffulcit gemma columnis.
 Proxima templa jacent, statuæ quibus ordine longo
 Magnanimùm heroum clarorumque ora virorum
 Lucent, qui passim vasta in regione vagantur;
 Hujus at introitum postquam spatiosa recludunt
 Atria, perpetuo valde exornata metallo,
 Ingentes tabulae circum latera utraque cingunt,
 Aurea venturae queis prostant nomina gentis.
 Tum comes admonuit simul ac revocavit euntem:
 Huc adverte animum, namque hos REGINA beatis
 Sedibus adseripit socios, quorum ardua vitam
 Praevidet, & meritas stabili certamine palmas.
 Felices o forte sua, quos ille timorum
 Maximus haud urget mortis metus, inde ferendi
 Sudores mens prona viris validosque labores.
 Hi cum depositis accedunt denique membris,
 Et titulum, & quali valuerunt laude, coronam
 Percipiunt, ac hoc fulgentia signa sacello.
 Substitit Elifabe, & feriem festina pererrat,
 Atque suae proceres urbis mistosque potentum
 Agminibus vidit, numerosaque nomina Patrum.
 Inde datum molitur iter, fidiſſimus ultro
 Progreditur socius diuturna sacraria monstrans,
 Et spatia aeternum fat suffectura colonis.
 Tum longa serie celebres ab origine cives
 Indicat, in primis quos Wratislavia blando
 Fovit amata sinu, moresque & fata docebat.
 Ferrea quot densis cernuntur robora sylvis,
 Flumina quot filices, patulas quot pascua fagos,
 Tot referunt vivos imitantia marmora vultus.
 His regalis apex, his sceptrâ micantia gemmis
 Purpuraque & gravium rectorum insignia quondam
 Accumulata jacent: illis versatile ferrum,
 Pectora quod referat, quod opimo sanguine fumat,
 Laureaque & meritaè vigili virtute coronae
 Aeternum servant decus: his, solennia musis
 Præmia, sublimes cingunt pia tempora vittae,
 Librorumque manet moles prope: caetera turba
 Quisque, licet tenues, alios fecere merendo
 Vsq̄ sui memores, & fas coluere piumque,
 Omnes hi viridis decorantur termitè palmae.
 Accedunt propius; media testudine templi
 Stat solium regale auro gemmisque superbum,
 Marmoreosque gradus pretiosum contegit ostrum.
 A dextris fortuna loci non mobilis addit,
 Munera distribuens his aequa lance, fideles
 Quos probat ad laevas praefens industria partes.
 Continuo auditus parvo discrimine vocum
 Clamor it ad superos, & pulsât culmina plausus;
 Respicit Elifabe, strepituque exterrita clamat:
 Quae rerum facies? O dux, effare, quibusve
 Exultant adeo felicia pectora caussis?
 Tum socius contra: Ne defice, filia; membrum
 Coetibus accedit nostris, certe ignea vidi
 Nomina, vicinam haec monstrabant omina pompam,
 Hanc equidem memorare tibi ac ostendere coram
 Exopto, magis ut, quae nostris gloria, noscas.
 En! REGINA venit nitidis ornata capillis,
 Os humerosque DEAE similis, vultumque serena

Commendat gravitas, totum reverentia corpus;
Omnia clara patent, & pura luce refulgent.
Tu modo, dum famulas secum trahit illa cohortes,
Et folium sublime capit, dum laeta clientem
Agmina subducunt tectis, desiste moveri.

Haud mora contiguus veniunt ex aedibus omnes,
Carmina quos cantusque juvant, sociumque recentem
Excipiunt, praeuntque modos; & limina templi
Mox primi subeunt, sequitur quoque caetera turba
Fortuitis distincta choris, novus accola coetus
In medios trahitur, crescitque frequentia vulgi.

Agnoscit PATREM PATRIAE, ac invita fatetur,
Horrescit visu subito, lacrymisque rigabat
Elisabe faciem, quæstusque orditur amarus:
Siccine tam tristem sensit, Patria, cladem?
Siccine divinas erepto PRAESIDE sedes
Nostraque tecta dolor subit, heu fuit incluta quondam
Gloria, nunc variis posuere cubilia luctus.
Quo decus ah! nostrum tendis, cui pectora grates,
Fundunt innumeras, tot debita munera curis?

At turbata senex sentit suspiria toto
Pectore ducentem, dictisque affatur amicis:
Si qua confiteris meminisses, filia terra;
Nullo foedares communia gaudia luctu.
Nonne vides quantos incumbat ferre labores
Dum modo membra vigent, longa fruitura quiete
Has cupiunt intrare domos, diuturnaque nostri
Tempora contentis subeuntur mentibus orbis.

Haec ubi dicta dedit, civem REGINA recentem
Suscipit effundens caelesti oracula lingua:
O mihi jam pridem communi cognite fama!
Quas prius incipiam laudes, quæque ultima dicam?
TE sublime genus decorat; sed facta parentum
Vicisti virtute TVA: jam prima juvenus
Edidit egregiae documenta illustria vitae:
Sic studis operatus eras, generosaque multis
Membra fatigabas operis, mox longa viarum
Taedia & externas subiisti strenuus aulas.
Hinc quoque sub magno vivebas PRINCIPE cunctis
Gratus, & ingentem TECUM vehis altus amorem,
Cum patriae decreta vocant, partemque Senatus
Constituunt. Sed quod tantum Te PRAESIDE demum
Publica res viguit, fruitur dum curia curis
Per sex lustra TVIS, lugent TVA funera cives.
Jamque optata feras virtuti debita tantae
Praemia, perpetuo caput ardua laurea cingat;
Gaudiaque innumeros non interitura per annos,
Et laetos socios, ac IMMORTALIA REGNA
Laetior aspicias, & quæ TE fama decusque,
Et mox, quæ NATOS maneat quoque gloria, cernas.

Postquam conticuit, resonant vicina canoris
Vocibus, & festos reperunt tota agmina plausus.
Elisabenque novo capientem gaudia motu
Excitat hic subito strepitus, pulsoque sopore
Nescio quem sentit mens heu! praesaga timorem.

Sed ruit interea feralis fama per urbem;
Jam patriae cecidisse patrem, columenque SENATVS;
Nympheque mox tanto privatas PRAESIDE sedes
Flebilis ingeminat, crescit cunctamine luctus,
Grataque testantur patefacti corda dolores.

Hac duce nos, solitum dum poscit carmina munus,
Somnia conficimus; meritisque ingentibus aras
Mentibus in nostris fruimus, quas nulla vetustas
Unquam abolere potest, non ipsa potentia mortis;
Postera nam recolent tam vastas secula laudes
Dum retegunt natis memoranda exempla parentes.
Ante quidem vasto spargentur sidera ponto,
Terra feret pisces, insvera animantia coelum,
Quam TVA deficient, VIR SPLENDIDE, nomina: nempe
Incolumis superest PROLES, ipsique NEPOTES
Et vultum referent, praeclaraque facta PARENTIS:
Nec minus eximius COGNATO SANGVINE JUNCTI
Laudibus accumulans laudes; pietasque fidesque
Et divina habitat totas prudentia mentes.

† † †

Commendat gravitas, totum reverentia corpus;
Omnia clara patent, & pura luce refulgent.
Tu modo, dum famulas secum trahit illa cohortes,
Et folium sublime capit, dum laeta clientem
Agmina subducunt tectis, desiste moveri.

Haud mora contiguus veniunt ex aedibus omnes,
Carmina quos cantusque juvant, sociumque recentem
Excipiunt, praeiunguntque modos; & limina templi
Mox primi subeunt, sequitur quoque caetera turba
Fortuitis distincta choris, novus accola coetus
In medios trahitur, crescitque frequentia vulgi.

Agnoscit PATREM PATRIAE, ac invita fatetur,
Horrescit visu subito, lacrymisque rigabat
Elisabe faciem, quæstusque orditur amarus:
Siccine tam tristem sensit, Patria, cladem?
Siccine divinas erepto PRAESIDE sedes
Nostraque tecta dolor subit, heu fuit incluta quondam
Gloria, nunc varii posuere cubilia luctus.
Quo decus ah! nostrum tendis, cui pectora grates,
Fundunt innumeras, tot debita munera curis?

At turbata senex sentit suspiria toto
Pectore ducentem, dictisque affatur amicis:
Si qua constiteris meminisses, filia terra;
Nullo foedares communia gaudia luctu.
Nonne vides quantos incumbat ferre labores
Dum modo membra vigent, longa fruitura quiete
Has cupiunt intrare domos, diuturnaque nostri
Tempora contentis subeuntur mentibus orbis.

Haec ubi dicta dedit, civem REGINA recentem
Suscipit effundens caelesti oracula lingua:
O mihi jam pridem communi cognite fama!
Quas prius incipiam laudes, quæque ultima dicam?
Te sublime genus decorat; sed facta parentum
Vicisti virtute TVA: jam prima juvenus
Edidit egregiae documenta illustria vitae:
Sic studiis operatus eras, generosaque multis
Membra fatigabas operis, mox longa viarum
Taedia & externas subiisti strenuus aulas.
Hinc quoque sub magno vivebas PRINCIPE cunctis
Gratus, & ingentem TECUM vehis altus amorem,
Cum patriae decreta vocant, partemque Senatus
Constituunt. Sed quod tantum Te PRAESIDE demum
Publica res viguit, fruitur dum curia curis
Per sex lustra TVIS, lugent TVA funera cives.
Jamque optata feras virtuti debita tantae
Praemia, perpetuo caput ardua laurea cingat;
Gaudiaque innumeros non interitura per annos,
Et laetos focios, ac IMMORTALIA REGNA
Laetior aspicias, & quæ Te fama decusque,
Et mox, quæ NATOS maneat quoque gloria, cernas.

Postquam conticuit, resonant vicina canoris
Vocibus, & festos repetunt tota agmina plausus.
Elisabenque novo capientem gaudia motu
Excitat hic subito strepitus, pulsoque sopore
Nescio quem sentit mens heu! praesaga timorem.

Sed ruit interea feralis fama per urbem;
Jam patriae cecidisse patrem, columenque SENATVS;
Nymphaque mox tanto privatas PRAESIDE sedes
Flebilis ingeminat; crescit cunctamine luctus,
Grataque testantur patefacti corda dolores.

Hac duce nos, solitum dum poscit carmina munus,
Somnia conficimus; meritisque ingentibus aras
Mentibus in nostris struimus, quas nulla vetustas
Unquam abolere potest, non ipsa potentia mortis;
Postera nam recolent tam vastas secula laudes
Dum retegunt natis memoranda exempla parentes.
Ante quidem vasto spargentur sidera ponto,
Terra feret pisces, infæta animantia coelum,
Quam TVA deficient, VIR SPLENDIDE, nomina: nempe
Incolumis superest PROLES, ipsique NEPOTES
Et vulturn referent, praeclaraque facta PARENTIS:
Nec minus eximius COGNATO SANGVINE JUNCTI
Laudibus accumulans laudes; pietasque fidesque
Et divina habitat totas prudentia mentes.

† † †

